



## The Holy See

---

PIUS PP. X EPISTOLA **VESTRA ERGA\*** AD AMBROSIUM MONTAGNE SACERDOTAD BERNARDUM  
ARCHIEPISCOPUM BOGOTENSEM  
CETEROSQUE ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS REIPUBLICAE COLUMBIANAЕ Venerabiles Fratres, salutem et  
Apostolicam benedictionem. — Vestra erga Christi Vicarium pietas et fides praeclare eminent ex eis litteris, quas  
occasione solemnis coetus a vobis habiti misistis ad Nos, ut, vestro et totius nationis Columbianae nomine, ob Iubilaeum  
sacerdotii Nostri gratularemini. Quamquam de omnium vestrum in Nos voluntate nihil unquam dubii Nobis fuit,  
delectamur valde his litteris, quae certe ad fovendam istius ecclesiae cum Apostolica Sede coniunctionem pertinent. Sed  
hoc praesertim placet, quod scribitis, vos, quemadmodum Nobis in optatis erat, in unum convenisse, ut, praesidente  
Delegato Apostolico, de accuranda Columbiani populi semperrena salute consultaretis. Quae ceperitis consilia, pro certo  
habemus esse peropportuna : eadem ut frugifera et fructuosa sint, divinae vobis gratiae munera exposeimus. Quorum  
auspicem et benevolentiae gratique animi Nostri testem, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque, uniuscuiusque  
vestrum curae concredito, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus. *Datum Romae apud S. Petrum die XIX*  
*Decembris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto. PIUS PP. X*

\*AAS, vol. I (1909), p. 141.